

sus expertes) per iconem additi, exstantem in Scriptis Panaroli, Medici Romani, ad maximam Naturæ Naturantis Sapientiam, ex tantâ diversitate partium æstimandam.

* 11. Puncta Lacrymalia Meibomiana, in limbis Palpebrarum Capitis Vitulini longè plurima, pulcroq; disposita Ordine, Oculo, Cultro, Setis investigata. Flatu verò similiter vix licebat, ob laxitatem & teneritudinem, obliquitatemq; Aquosorum Ductuum, doctissime primùm à Clariss. Autore D. Henrico Meibomio, Ann. 1666. descriptorum, in Dissertatione Epistolicâ, ad Nobiliss. D. Joëlem Lange-lott, Ser. Ducum Holsatiæ Archiatrum. De Fletu obiter etiam addebatur, non sequi: quia Homo interdum ex mœrore flet, ergò Bruta, speculatione Objecti adversi destituta, flere propriè non posse. Alioqui nec Sanguis Brutorum e.g. ab æstro Veneris aut labore propriè incallescere posset, quia in homine interdum Sanguis per Irâ excandescit; nec oculi Brutorum propriè nitescere, quia humani quandoque per Lasciviam aut malitiam nitescunt; nec deniq; Equus, diu Curram trahens, propriè sudare, quoniam Homo interdum ex Animi labore sudat. Affectus humani in talibus, sunt causæ tantùm remote.

* 12. Musculi Oculorum mundè preparati, & explicati in tabulâ, tam recentes ex Vitulo, quàm antiquiores ex Homine, ansam dederunt, connotare quoque breviter hoc; non uniformiter quævis eorum Paria homogenea moveri. Hoc est: Visioni rectæ, quæ fit sursum, simul quidem inserviunt ambo Musculi Superbi, dexter in dextro oculo sinister in sinistro; atque dum rectâ deorsum tuemur, ambo Musculi Humiles junctim oculos deprimunt: Rectâ verò dextrorsum nobis videntibus, Dextri oculi Excubitor musculus constringitur, sinister relaxatur: & rectâ sinistrorsum videntibus Dextri oculi Bibitorius Musculus constringitur, sinister relaxatur. Hujusmodi motuum difformitas, negata à nemine, sed & vix à quopiam expressis verbis notata, ex consuetudine magis fit quàm primario Naturæ instinctu. De Chamæleonte autem refert ante-laudatus Panarolus, simul ipsum videre posse se uno Oculo sursum, altero deorsum; dextrorsum uno, contrâ altero; antorsum deniq; uno, atq; ad tergum altero. Totam Observationem super addidi, mereri legi ac transcribi, exstantem in Observationibus Medicis dicti Autoris, pag. 197. seq.

D. 28.